



IOACHIMI VADIANI HELVETII,  
Aegloga, cui titulus.  
FAVSTVS.

EIVSDEM DE INSIGNIBVS FAMILIÆ  
Vadianorum, ad Melchiorem fratrem Elegia Exegitica.

Ad Lectorē Georgius Binder Tygurinus.

Si facilis lector cognoscere carmina uenæ,  
Et cupis acclui uoluere mente iocos.  
Hic lege qđ tenui cōpleteſt Aegloga uersu  
Quod Vadianorum gestat auita domus.

MELCHIOR VADIANVS.

Accipe Trinacrios quę possint uincere lufus  
Pastorum, tanto carmina digna uiro.



## FAVSTVS.

Verum illa (ut cerno) facies prædiuitis agri est,  
Quid quereris? tibi pulchra domus, tibi pingua rura  
Et grex dissimilis illi quem fulmen adegit,  
Compensant ueteris fortunæ incōmoda, quod te  
Solatur, uultusq; hilares tibi Fauste reducit.

Fau. Est, ut ais, sed quo casu res cesserit, audi.  
Nuncia ubi Phronimo patefecit fama, quid ingens  
Tempestas illa illa suis nocuisset agellis,  
Aruorum pertesus ait, propria omnia sunt  
Pauperis & subita spoliati grandine Fausti,  
Hoc ius fasq; sinunt, hoc damna accepta merentur,  
Id multum de me meritus mihi rettulit Alcon,  
Alcon prædiues lingua, ingenioq; , domoq; ,  
Pastores circum quem cum pietate uerentur.  
Et dixit, tua sunt hæc omnia pascua Fauste  
Sic Phronimus statuit, Phronio duce munera fœlix  
Accipis, a nullo tibi quæ pastore ferentur.

Ly. Esse etenim uerum uideo modo Fauste, quod aiunt  
Non semper pluuias turgescere in æthere nubes,  
Sed contracta die diducere nubila Solem,  
Reddere & amota sudum caligine cœlum  
Quin cœlo adsimilis hominum fortuna uidetur,  
Namq; uices mutat, facieq; est sæpe serena,  
Sæpe eadem tristi corrugat lumina uultu.

Fau. Tunc iterum colere & præuertere damna labore  
Occepit, liber censu, dominoq; , nec ullum  
Par studium intermissum opere, neq; sidera tantum  
Quantum alias agros renouanti aduersa fuerunt,  
Quin nemorum Fauni proba numina, & alta Lycæi

## AEGLOGA

Qui iuga per uolitat celeri pede propitius Pan,  
Lanigero pecori sobolem tribuere beatam.  
Læta Ceres segetem, frugem Pomona reduxit,  
Roboribus Dryades, myrtho uiolisq; Napeæ,  
Vinetis Bacchus rursum affuit, hinc mihi totus  
En iterum florescit ager, mihi crescit ouile,  
Resq; iterum Lycida fortunant orsa secundæ.

- Ly.** Nempe ergo Phronimo pro tanto munere grates  
Debebis longas: quod te/tot grandia passum  
Damna leuauit humo, sedesq; locauit in illas.
- Fau.** Ille mihi (ut dixi Lycida) deus extat, ego illum  
Post habeam Faunis, Satyrisq; & ruricolis Diiss;  
Donec erit culti Faustus possessor agelli,  
Quem misero Phronimus dono dedit, illicet oēs  
Vndarum terreq; deos, sociosq; penates  
Negliget, & structa Phronimum uenerabitur eude.  
Pastorum prorsus non est integrior illo:  
Nec pecoris qui s̄q; pastore opulentior illo est,  
Magna senem pacis communis cura fatigat,  
Nec cessare sinunt insumpta negocia mentem.  
Idcirco nunc hic, nunc illic dispicit agros,  
Et uepreta metit, solemq; admittit apertum,  
Illi primicias, illi mea carmina dedam,  
Et pulchri toto quicquid nascetur agello.  
Post Phronimū memor est dono mihi px̄ns Alcon,  
Alcon qui nostrum tandem miseratus ouile  
In pingues agros iejuna armenta reduxit,  
Et subita oppressum nos tempestate leuauit.  
Viuite pastores quibus est uicinia curæ,

## FAVSTVS.

Qui casum miseri nondum resistis amici

Hoc Phronimus fecit, facit hoc mansuetior Alcon

Vltima qui Fausto sunt inter damna miserti.

Ly. Lector ego euentu, sed cur sit letus Anolbus?

Quem bona uicini uexat fortuna, doletq;

Cantori quod iam Fausto meliora supersint,

Fau. Quid toties miseri reperis cognomen Anolbi?

Hic sibi met furia est mōrenti atq; acris Erynnis,

Pœnarumq; satis sibi met pro crimine pendit,

Perpetuo hic dulces sequitur liuore Poetas

Et numeros ridens, dono contentus in uno est

Quod soli pernox & peruigil inhiat auro,

Quo magis infælix, & auarus & inuidus extet.

Verum defunctus meliori tempore, iam nunc

Extremum capularis agit, iunctusq; ferebro est,

Membra etenim admittunt sensim labentia mortem,

Nam molem inuidiæ corpusq; animusq; recusant,

Huic:ego:parca ferox ubi uitam finiet Orco

Adscribam hæc Vates gelido tria carmina Cippo.

Mordet humum, inuidia nondum satiatus, Anolbus

Cui propria humanam uiciarunt cōmoda mentem,

Si quis amat uicum, uicioq; defleat umbram.

Ly. Nonne gregem semper scabiosam nutriit? & se

Corruptæ pecudis stabulo cōmiscuit? ohe

Quid tantum exultat miser & contemptus Anolbus?

An q; prisca suum scabies corruptit ouile

Putria nec retinent morbi contagia finem?

An quod contracto spem cunctam ponit in auro

Quod probus ille Aegon charis hæredibus olim